



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt Primvm. De Iustitia generatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

SECTIO QVARTA.

De Iniuriis in Iudiciis & Tribunalibus.

Continet Capita 3.

Cap. 29. De Iudicis.

Cap. 30. De Accusatore & Teste.

Cap. 31. De Aduocato & Reo.

SECTIO QVINTA.

De Iustitia distributiva.

Continet Capita 4.

Cap. 32. De Acceptione personarum in genere.

Cap. 33. De Vtigalibus.

Cap. 34. De Beneficiis.

Cap. 35. De Simonia.

SECTIO SEXTA.

De Religione, quæ est prima pars Iustitiae.

Continet hæc 10. Capita.

Cap. 36. De Religione in genere.

- Cap. 37. De Oratione & Lante Dei.
- Cap. 38. De Sacrificio & Adoratione.
- Cap. 39. De Decimis.
- Cap. 40. De Voto.
- Cap. 41. De Status Religioso.
- Cap. 42. De Iuramento & Aduiratione.
- Cap. 43. De Superstitione eiusque speciebus.
- Cap. 44. De Magia.
- Cap. 45. De Irreligiositate.

SECTIO SEPTIMA.

De ceteris Virtutibus Iustitiae annexis.

Continet 2. Capita.

- Cap. 46. Dereliquis Viriis Iustitiae annexis, in quibus est debitum legale.
- Cap. 47. De Virtutibus Iustitiae annexis, in quibus est debitum morale.



SECTIO PRIMA.

DE IVSTITIA, IVRE,
ET SPECIEBUS IVRIS
INGENERE.

CAPVT PRIMVM.

De Iustitia generatim. Habet 4. Dubitationes.

D.Thom. q.57. & 58.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Iustitia.

D.Thom. q.58. multis articulis.

Iustitia duas
acceptiones.Iustitia ge-
neralis.

OTANDVM, nomen *Iustitia* duobus potissimum modis accipi; ut colligitur ex Arist. 5. Eth. c. I. Primo pro complexione omnium virtutum: *Iustum* enim dicitur quod est adæquatum & commensum suæ regulæ, cui debet commensurari. (includit enim debitum & adæquationem; vt docet D.Th. q.80. a. vnico, & alibi.) Vnde *Iustitia* dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem & commensuram. Quare cum collectio omnium virtutum, sive actu sive habitu formaliter conformetur, & veluti commensurabiliter reddit voluntatem suæ regulæ, legi diuitia, rectè vocatur *Iustitia*, & quævis virtus pars *Iustitia*, præfertim cum hac ratione ordinetur ad alterum, quod etiam notio *Iustitia* postular, (vt idem D. Thomas cum Aristotele docet) nempe

ad Deum, cuius legi conformatur. per omnem enim virtutem reddit anima Deo quod ei debet. Sic accipitur passim in Scripturis: ut cum dicitur, *Beati qui esurunt & sitiunt iustitiam: qui faciunt iustitiam*. Sic Chrysost. homil. 12. in Matth. air, *Iustitia nihil aliud est quam omnium mandatorum plena custodia*. & Anselmus dialogo de veritate cap. 13. *Iustitia est rectitudo voluntatis, seruata propter seipsum*. Hinc sit ut nomen *Iustitia* accipiat etiam pro ipsa charitate, nempe quia caritas voluntatem reddit conformem tori legi diuinæ; ut quæ omnium virtutum complexione quodammodo continet, iuxta illud Apostoli, *Vinculum perfectionis dilectio*. Vnde D. August. lib. de natura & gratia c. 38. *Charitas Dei qua una iustus est, quicunq[ue] iustus est, &c. vlt. Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est*. Secundò accipitur pro virtute particulari, qua voluntas inclinatur

clinatur ad cuique reddendum ius suum ad aequalitatem; que modo hic de ea disputamus, & quemadmodum quid sit.

Definitio ab Vlpiano L. Iustitia. *¶ de Iustitia & Iure, hoc modo: Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Sensus est, Iustitia est virtus inclinans & firmans voluntatem ad perpetuum cuique tribuendum ius suum; idque ad aequalitatem. Dicitur Primo, constans voluntas, quia est propositum habituale deliberatum & firmum. Secundo, perpetua voluntas, quia ad perpetuum reddendum: qui enim tantum semel, aut bis, non autem semper & in omnitementu vellet cuique ius suum reddere, non esset verè iustus, nec haberet hanc virtutem. Tertiò, ius suum, id est, quod cuique sibi obligatio est debitum, debet autem reddi hocius ad aequalitatem, alioquin non perfecte redditur, ac proinde non erit perfecta Iustitia: quia Iustitia aequalitas quedam est, vel certe aequalitatem incoluit, ut nomen insinuat. Simili pene modo definitio Iustitia à D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 21. & Ambrof. l. 1. de officiis cap. 24. Iustitia est virtus qua sua cuique distribuit.*

Hinc patet Primo, Iustitiam esse virtutem; nam reddere cuique ius suum, & constitutre ubique in actionibus quibus homines inter se communicaunt debitam proportionem & aequalitatem, est per se honestum & recte rationi consentaneum; ac proinde virtutis opus.

Pater Secundò, Hanc virtutem esse in voluntate, quam inclinat ut velic cuique reddere quod debet: est enim propositum & inclinatio voluntaria ad id quod iustum est.

Pater Tertiò, Hanc virtutem recte disponere hominem ad alterum in functionibus & communicationibus mutuis. nam inclinat ut velis, & praestes quod alteri debes, & iuri ciui ex aequo respondet. Nec obstat, quod Iustitia sit velle etiam ut alter tibi ius reddat, ideo; non solum te disponat ad alterum, sed etiam alterum ad te: quia formaliter solum subiectum suum disponit ad alterum; effectu tamen alterum ad se disponere potest. omnis enim virtus honestum sui obiecti amat in omnibus, illudque procurat quantum commode potest.

Pater Quartò distinctio huius virtutis a reliquis. Ab iis quae sunt in intellectu; quia est virtus voluntatis. A ceteris quae sunt voluntatis differt obiecto: à Theologie, quod carum obiectum sit Deus; Iustitia, debito proximo, à Religione, quod Religio spectet debitu Deo, ut primo principio, cui aequaliter reddi non potest; Iustitia, debito proximo, cui potest rependi aequaliter. à Pietate, quia pietas spectat solum debitum parentibus & patriæ ratione ortus, cui etiam satisheri ex aequo non potest. ab Observantia, quia haec spectat debitu majoribus ratione gubernationis, cui etiam premium aequaliter reddi nequit ab homine. ab aliis Iustitiae partibus, quia debitu, quod spectant, est minus debito Iustitiae. à Temperantia, quia haec non disponit meam functionem ad alterum, sed ad meipsum, ut mihi sit commensurabilis; inclinando me, v.g. ut comedam, & bibam, sicut ratio dicit mihi conuenire ad bonam valetudinem, ad functiones animi & corporis, sine villo ad alterum iutuitu. à Fortitudine, quia haec non respicit quid alteri debeat, sed quid se deceat sustinere, & quantum, &c.

*Definitio
Iustitia
particula-
ris.*

Pater Quintò, Cū Iustitia sit ad alterum; hominis ad ipsum non esse propriè iustitiam, vel iniuriam, neque patris ad filium, aut filii ad patrem, iuxta Aristotelem & D. Thomam: quod intellige quoad iura & debita quae sunt inter ipsos quā tales sunt. quod enim filius ut filius debet patri, debet ei legi pietatis, non iustitiae: debet enim ei, non ut alieno & prorsus distincto, sed ut principio sui esse. similiter quod pater filio: debet enim ei tamquam sibi ipsi. etenim filius aliquid patris, scilicet fructus eius & veluti pars ab illo absissa, iuxta Aristotelem 8. Ethic. cap. 12. in qua natura paterna conseruetur. quare cūm tanta inter ipsos sit vno, maius est debitum quam Iustitiae vulgaris.

Nec obstat, quod si filius patrem occidat, peccet contra Iustitiam, & teneatur heredibus ad restitutionem; quia non peccat contra Iustitiam praeceps, quatenus facit contra debitum filij & ius paternum: (sic enim solum peccat contra pietatem) sed quatenus sine legitima auctoritate interimit hominem. Est enim in hoc factō duplex malitia, altera contra Iustitiam, ratione substantiae personæ qua leditur; altera contra pietatem, ratione circumstantie eiusdem personæ. Potest tamen inter ipsos esse debitum Iustitiae, quatenus sunt distincte persona habentes distincta iura & dominia. ut si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensis, aut quasi castrensis.

Pari modo inter dominum & seruum, quā tales sunt, propriè non est Iustitia. Ius enim domini in seruum non est Iustitia, sed despoticum, quo potest illi imperare, illoque ut in suum comodum, illum vendere, permutare, donare. Seruus enim est domini instrumentum & possessio. Seruus vero obstringitur domino, debito obseruantia seu dulia, & debito obedientia. si tamen spectentur ut sunt homines distincti & in multis rebus liberi, sive iuris, diversa iura habentes, sic potest inter eos esse Iustitia & iniuria. ut si dominus seruum occidat, vel mutilet. nam in vita membrisque tuendis & conseruandis seruus non subest domino, sed est sui iuris. si seruus furetur vel damnum domino inferat, si furtum contra ius & fas capessat; hoc enim furti genus est.

*Inter do-
minum &
seruum.*

D V B I T A T I O II.

Vtrum Iustitia tantum versetur circa actiones, an etiam circa passiones.

D. Thom. art. 9.

R Espondeo, & Dico Primo, Iustitiam prima-
riò versari circa solas actiones rite ad alterum
disponendas, & circa res ut sunt actionum mate-
ria, non autem circa passiones, ut temperantia, &
fortitudo.

*Obiectum
Iustitiae.*

Probatur; quia proprium officium Iustitiae non
est curare ut homo non nimium irascatur, vel ne
metuat, aut ne voluptates amet plus quam par-
est; sed ut cuique præstet quod ei debitum. &
quamvis ab hoc impediti possit per iram, timo-
rem, pecunias vel voluptatum amorem; tamen
cius non est haec impedimenta per se ipsam tolle-
re, sed aliarum virtutum præsidio. omnes enim
virtutes se mutuo iuvant, dum quis tollit qua-
dam iniuriam.

dam aliarum impedimenta. Mansuetudo enim temperat iram; unde iuuat illas virtutes, quarum functions per iram impediti possent; ut Iustitiam, obedientiam, humilitatem. Fortitudo moderatur timorem, liberalitas pecuniarum amorem. Idem de ceteris eto iudicium.

8 Dico Secundò, Potest tamen Iustitia secundariò moderari passiones, quatenus illa moderatio est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, qui est reddere cuique ius suum.

*Quomodo
Iustitia
possit esse
causa mo-
derationis
passionum.*

Probatur Primò, Quia possum velle moderari iram, amorem pecuniae, & timorem ne alicui faciam iniuriam; & ex vi huius intentionis sequetur moderatio illarum passionum, absque interuentio intentionis, quae sit alterius virtutis: atqui intentio illa neminem laedendi est actus Iustitiae: ergo Iustitia etiam moderatur passiones.

Secuuddò, Quia omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quoquis actus externos aliarum virtutum ad illum idoneos imperare; ut ostensum est 1.2.q.17.a.5. atqui moderatio passionum est medium idoneum & saxe necessarium ad finem intrinsecum Iustitiae, estque actus externus virtutis, cum non sit in voluntate: ergo Iustitia potest illam imperare. Itaque illa moderatio tunc formaliter erit actus Iustitiae, non autem temperantiae, vel mansuetudinis, vel fortitudinis; quia immediata sequitur ex affectu Iustitiae, ut ostensum est 1.2.q.18.a.6 dub.1.

*Iustitia at-
tingit me-
dium rei:*

9 Hinc colligi potest quo modo Iustitia dicatur attingere medium rei, reliqua virtutes medium rationis. de quo D. Thom. art. 10. Iustitia enim non datur rei: spectat quidnam sit commensuratum suo subiecto secundum rectam rationis regulam; sed quid sit commensum rei, veluti alterius, ut nec minus nec amplius praestetur, sed aequaliter: Temperantia autem & Fortitudo spectant medium rationis; id est, quidnam iuxta rationis dictamen sit commensum subiecto, non excedens aut deficiens medium subiecti. unde medium in his est variable pro varietate subiectorum: quod enim respectu vienii est medium & aequaliter; ad alterum est nimum, ad tertium est parum, itaque rationis examine hoc medium est inuestigandum, & ex consensu cum regula rationis statendum. In Iustitia autem semper est idem medium, qualecumque tandem sit subiectum, quod ipsa afficit: quod medium consistit in aequalitate rei ad rem, (vt pretij ad rem venditam) vel proportionis ad proportionem: nempe ut talis sit proportio inter munera & onera communia, qualis est inter personas quibus haec distribuuntur. Vnde merito dicitur medium rei, non excedens, non deficiens ad ius alterius.

DUBITATIO III.

Utrum præter Iustitiam particularem sit aliqua Iustitia generalis quæ legalis dicitur, & quid illa sit.

D.Thomas q.58.art.5.6.7.

R Espondeo, Esse quamdam Iustitiam legalem, seu generalem. Ita docet hic D.Thom. art.5. & Aristoteles lib.5.cap.1.

10 Ratio est, quia omnis pars Reipubl. dupliciter

potest ad alteram comparari. Primò, vt pars ad partem, ciuis ad ciuem; & sic est Iustitia particula pars Reipubl. bifurcata, quæ hominem in hac habitudine perficit. Secundò, vt pars ad totum, scilicet ad ipsum Rempubl. sic est Iustitia generalis, quæ hominem in habitudine ad Rempubl. perficit.

Sed tota difficultas est, quid sit haec Iustitia; quod eius officium, & quomodo ab aliis distinguatur. nam D.Thom. hic, & Sotol.3.de Iustitia q.2.a.3. existimat quamdam esse virtutem particularē distinctam à ceteris omnibus, qua pro curet bonum commune. Verum Andreas Vega l.5.in Concil. Trid. c.4. & multi alij putant esse complexionem omnium virtutum.

Notandum est, nos posse loqui vel de re ipsa, vel de mente Aristotelis, qui primus Iustitia legalis nomine videtur usus. Si de re ipsa loquamur,

Dico Primò, Non videri dubitandum quin sit aliqua particularis virtus bonum commune Reipubl. intuens & procurans, cui hoc nomen Iustitiae posit accommodari. Probat hoc satis D.Thomas art.6.

Ratio est, quia velle & procurare bonum Reipubl. habet speciale rationem honesti & lauda-legalis esse, quæ non inuenitur in functionibus aliarum virtutum: mulò enim id est laudabilis quam curare priuata: ergo ad speciale virtutem pertinet, quæ rectè dicitur *Iustitia legalis*. *Iustitia*, quia respicit quadammodo alterum, id est, Rempubl. Legalis, quia extendit se ad omnia quæ lege sunt statuta propter bonum commune.

Secundo, Quisque ciuium quæ est pars societas ciuilis, eiusque fruictur commodis, specialis debito obstrictus est ad procurandum bonum illius societatis: (nam pars est propter totum, & bonum partis propter bonum totius) sed ubi est specialis ratio debiti, ibi etiam est specialis ratio virtutis, & quidem Iustitiae, cum sit ad alterum, & etiam de iis quæ legibus sunt præcepta.

Tertio, Si quis negligat bonum commune quando versatur in periculo, vel præponat ei priuatum commodum, peccat contra hanc Iustitiam: non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex officio ei incumbat huius boni conseruatio: quod signum est, hanc esse virtutem speciale distinctam à Iustitia particulari.

Dico Secundò, Probabile est hanc virtutem non distingui à virtute pietatis; quatenus per pie-Videtur non rationem, patriæ vel Reipubl. in qua viuimus, debi-distingui à ratione, & quidem Iustitiae, cum sit ad alterum, & etiam tum cultum obsequiumque præstamus.

Probatur, quia secundum D.Thom. *Iustitia legalis* est procurare bonum commune Reipubl. & ceteras virtutum functiones ad hoc destinare, quando opus est. v.g. si Reipubl. veretur in periculo, Iustitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari ut excogitet modos defensionis, pericula contemnit, sumptus annonæ restringit, thesauros effundit: denique nihil non molitur ex affectu erga Rempubl. Sed haec omnia videntur esse officia pietatis in patria, vel Rempubl. neque explicari potest quænam alia virtus haec præstet: ergo pietas est illa virtus, quam D.Thom. Iustitiam legalem vocat, vel certe parum ab ea distinguitur.

Dices, Pietas aequè est in subditis ac in Principe: atqui *Iustitia legalis* non est aequè in utroque. in Principe enim est principaliter, & architectonici; in subditis secundariò & veluti in administris,

stis, ut docet D. Thom. art. 6. ergo sunt diuersae virtutes.

Respondeo, Maiorem non esse veram. *pietatis* enim virtus quodammodo suas functiones externas (quae sunt, Reipubl. bonum procurare & conservare) principalius & excellentius est in Principe; id que ob duas causas. Prior est, quia Princeps, si consideretur ut priuata persona, est nobilissima pars Reipubl. pollens opibus, auctoritate, scientia rei militaris, alijsque præsidij, quibus Reipubl. defenditur. & sic lege pietatis teneat pro suis viribus Remp. tueri, ac proinde alios dirigere, sicut membrum nobilius dirigit ignobiliora. Altera est, quia est Superior communitatis, cui ex officio incumbit publici boni curatio; & sic tenetur ad eadem obsequia externa pietatis, lege Iustitiae: hic enim non comparatur ad communitatem vi pars ad totum, sed ut pars ad partem. nam tota Respubl. se habet ad Principem sicut particularis persona ad custodem, quem stipendio ad se tenuendum & custodiendum conduxit: & ob hanc causam maximè procuratio boni communis pertinet ad illum *de jure naturae*; nam ratione officij est in illo auctoritas iubendi & alijs præscribendi.

Dico Tertio, Et si haec sententia probabili sit, verius tamen est *Iustitiam legalem à pietate distinguere*, si nomine Iustitiae legalis cum D. Thoma & multis alijs intelligamus virtutem, qua spectat bonum publicum, quatenus debitum a parte toti. Probatur, quia vbi est diuersa ratio debiti, ibi sunt diuersae virtutes: sed hic sunt diuersae rationes debitorum; nam longè strictior & altior debito pars obstringitur toni, & cuius Reipubl. quatenus ipsa est vnu corporis in quo ipse membrum; quam effectus obligatur cause iure secundaria, & homo sua patris, ratione auxilii quod ipsa ad eius ortum constituit. cuius signum est, quod quisque suam Rempubl. cuius est membrum, teneatur preferre parenti & vice sua, cum tamen parens magis sit principium ortus quam patria: atqui pietatis est curare bonum patria, quia hoc officium est illi debitum ratione beneficij ortus, quod ab ea accepimus: Iustitiae autem legalis est, idem bonum hue patria, sive alteri Reipubl. cuius sumus ciues, procurare, quia id illi debetur ratione vinculi & nexus, qui est pars ad totum, & membra ad corpus; ergo sunt diuersae virtutes.

Dico Quartum, Si vero de mente Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 1. & 2. vbi de Iustitia legali agit, sit quaestio, videtur Iustitia legalis in subdito nimirum esse aliud quam omnium virtutum complexio, quatenus legi obtemperat; in Superiori eadem complexio virtutum, quatenus inclinat illum ut cures leges feruari.

Prior pars est Eustatij in illum locum, Burid. q.4. Gyraldi q.5. in lib. 5. Ethic. & aliorum.

Probatur Primo, quia Aristoteles c. 1. dicit *Iustitiam legalem non esse partem virtutis*, (i. speciem aliquam) sed *vniuersam virtutem*: sicut *injustitia*, inquit, *legalis non est species malitia, sed vniuersa malitia*. Addit, *virtutem in genere, & Iustitiam legale esse idem re, sed differre solet* rō vīa, id est notione & ratione, ut recte Eustatius interpretatur. atqui non recte diceretur de aliqua particulari virtute (etiam si ipsa alias ad suum finem referrer) non esse speciem virtutis, sed vniuersam virtutem; non differre à virtute in genere, nisi ratione.

Secundū, Ita se habet Iustitia legalis ad virtutem in genere, sicut iniustitia legalis (quam ipse *leges*, i. legis violationem vocat) ad malitiam in genere, ut idem Aristoteles docet: atqui violatio legis, & malitia sunt idem, eti ratione differant; ergo similiter Iustitia legalis & virtus.

Tertiū, Iustitia legalis nihil aliud est Aristotelis, quam virtus ut legibus paret, sicut iniustitia est legum violatio, seu *leges*: atqui omnis virtus legibus paret; ergo collectio virtutum est Iustitia legalis.

Quarto, Aristoteles dicit legalem Iustitiam esse in maxima admiratione apud omnes homines; & proverbiali versu dici, *In Iustitia summarum est omnis virtus*, qui sumptus est ex Theognide: atqui hoc propriè conuenit perfectæ obedientiæ, quæ fit per complexionem virtutum. Itaque Aristoteles per *Iustitiam legalem* videtur intelligere obedientiam, non ut est virtus specialis, quæ affectu præcepti facit opus; sed ut est virtus generalis. omnis enim virtus quatenus facit id quod lege præceptum est, est obedientia legis, etiam si facta non affectu obedientia, sed propriè honestatis: quicumque enim facit quod lex iubet, & vitat quod ipsa prohibet, legi obedit, & legem implet.

Altera pars probatur, quia omnis virtus inclinat in suum bonum eo modo quo potest. Temperantia enim non solum inclinat hominem ut ipse leges temperantia seruit, sed etiam ut ab alijs feruari curet, si commodè potest. ergo tota collectio virtutum in Principe inclinat illum ut omnium virtutum leges à subditis feruari curet.

Aduerte tamen, Superiori posse multis modis inclinari ut curet feruari leges. Potest enim hæc cura considerari Primo, ut debita ex officio, & sic ad eam inclinat Iustitia particularis. Secundo, ut debita ex eo quod sit præcipuum membrum Reipubl. & sic ad eam impellit virtus, quam D. Thomas vocat Iustitiam legalem. Tertio, ut debita patria, quæ genuit; & sic ad eam inclinat pietas. Quarto, ut debita ex honestate singularium virtutum, de quibus sunt leges; & hoc modo tota virtutum collectio inclinat ad eam curam, quæ enim virtus, si potest, curat ut alius quanto sit virtute præditus, ut dictum est. Quinto, ut debita ex inclinatione charitatis naturalis in homines; & sic ad eam inclinat charitas naturalis, quæ etiam vocatur Iustitia: de qua Cicero de Finibus l. 5. *In omni honestabil est tam illustre, quam ipsa caritas generis humani, quæ animi affectio suum quique tribuens, & societatem coniunctionis humana aque ac misericordie tuens, dicitur Iustitia*. Idem dicendum de quoquis alio officio erga Rempubl. potest enim in eo multiplex ratio debiti spectari.

Dico Quinto, Si qua virtus particularis vocanda sit Iustitia legalis, videtur hoc nomen maxime conuenire virtuti obedientiae. Probatur, Nam *Iustitia legalis* videtur maxime conuenire obedientia.

Primo, quia Iustitia legalis obiectum secundum Aristotelem est id quod lege sancitum est, quod ille rō vocat: atqui id ipsum est obiectum obedientiae.

Secundo, quia obedientia competit esse in magna admiratione apud homines, esse instar Hesperi inter virtutes, & omnes virtutes complecti,

(quæ Aristoteles tribuit Iustitiae legali) quia omnes virtutes inserit, inservitque cultodit.

Tertio, Recte dici potest virtus iuuenies; quantum inclinat ad omnium virtutum functionem & materiam.

Quarto, Hæc virtus respicit alterum, id est, Superiorum, cuius legibus obedit, & bonum commune, quod consistit in legum custodia.

Denique Aristoteles nisquam alibi de obedientia agit; quasi eam hæc latius infuauerit. In eamdem sententiam aperte inclinat D. Thomas quæst. 120. art. 2. ad 1.

DUBITATIO IV.

Vtrum Iustitia particularis recte diuidatur in Distributiuam & Communitatiuam.

D. Thom. q. 61. art. 1.

Respondeo, Dico Primo, Recte in diuidi. Probatur ex Aristotele 5. Ethic. cap. 2. vbi duas ponit Iustitiae partes, quarum altera diriguntur in distributionibus, altera in communitationibus. Eadem est sententia communis Theologorum & Philosophorum. Sed difficultas est quomodo haec species distinguantur.

Dico Secundo, Recte distinguui tali confederatione. In Republica est triplex habitudo. 1. partis ad partem, 2. totius ad partes, 3. partium ad totum. Nunc, virrus quæ singulas partes disponit ad bonum totius Reipubl. est Iustitia legalis, de qua dicitur est, quæ vero disponit ad partem, est Iustitia particularis. Porro ad partem est duplex habitudo, nempe totius ad partem, & partis ad partem. Virtus quæ dirigit partem ad partem (1. ciuem ad ciuem) ut constituantur æqualitas inter ciues in actionibus, quibus inter se communicant, dicitur Iustitia communitativa. Quæ vero dirigit totum seu congregationem ad partes, in distributionibus per ciues rebus communibus, officijs, & oneribus, iuxta proportionem inter ipsos repartam, dicitur Iustitia distributiva. Hæc proprie & principaliter residet in Principe vel Magistrato, ad quem pertinet huiusmodi distributiones; in priuatis secundarij, quatenus eos disponit ut iustum distributionem ament, eaq; legitime facta acquiescant. Colliguntur haec ex D. Thom. q. 61. a. 1.

Itaque distinguuntur haec duæ species, Primo, quod Iustitia communitativa disponit priuarum hominem ad priuatum, vel eos qui le instar priuatorum habent. Iustitia distributiva, communitatem, vel eum qui communitatem representat, ad priuatum. Secundo, quod illa dirigit communitationes, hæc distributiones. Tertio, quod illa speccet conditionem rei alterius, ut ei reddat æquale: hæc conditionem personæ, ut sint dives an pauper: nobilis an ignobilis: doctus an indoctus: doceus ad officium an ineptus) ut secundum proportionem illarum conditionum fiat distributio. Quarto, finis intrinsecus: illius est, constituere æqualitatem inter datum & acceptum: huius finis est constituere æqualitatem inter proportionem & proportionem, ut eadem sit proportio inter res quæ distribuuntur, que est inter conditiones personarum quibus sit distributio; v.g. est aliquid dis-

tribuendum secundum dignitatem personarum: si is cuius dignitas est ut duo, accipiat 3. aureos; is cuius dignitas est ut quatuor, accipiet 6. cuius ut octo, accipiet 12. &c. Vide Aristotelem lib. 5. Eth. cap. 3. & 4. Hinc patet, quando militi datur stipendium, vel operarijs publicis merces à Repub. Reipub. sol. pro cuiusque merito, non dari per *Institutam distributiuam*, sed per *communitatiuam*: quia non spectatur conditio personarum, sed operarum quas præfitterunt; & nihil aliud intenditur quam ut in singulis constituantur æqualitas rei ad rem, scilicet mercedis ad operas. Vnde Resp. non comparatur tunc ad illos ut totum ad partem: sed ut pars ad partem, ut ciuis ad ciuem: subit enim rationem vniuersi personarum conductentis operas singulorum.

Dices, Cum sit distributio bonorum communitium secundum conditiones personarum, videatur etiam fieri Iustitia communitativa, & solum per accidens videtur resultare illa proportionum similitudine inter multos, cuis signum est, quod si distributor aliquem fraudauerit minus dando quam postulabat eius conditio, faciet ei iniuriam; quam tenetur sarcire per legem Iustitiae communitativa, ut docet D. Thom. q. 62. a. 1. ad 3. Hæc ergo erat violata.

Omnis varijs solutionibus Respondeo, Proportionum similitudinem seu æqualitatem non resultare per accidens, sed esse primario intentam à Iustitia distributiva, tamquam finem intrinsecum: sicut æquatio rerum primario intenta est à Iustitia communitativa. Tamen interdum Iustitia distributiva in sua functione includit distribut. communitatiuam, nempe quando sit distributio interdum rerum, quæ stricto iure debentur, iuxta pecuniarum conditionem, ut si quis relinquat centum aureos, distribuendo studiois alicuius Collegij pro cuiusque inopia, vel eruditio; Praes distributor, lege Iustitiae communitativa obligatur erga singulos, quamvis erga omnes tenetur servare formam Iustitiae distributiva, ut sit ea proportio elemosynæ ad elemosynam, quæ sit inopia ad inopiam. Vnde si alciu pauperiori minus dederit, tenebitur ex Iustitia communitativa ei restituere ad iustum proportionem, non lecus ac si donator ei an particulari reliquerit, v.g. 20. aureos, & Praes solum deaulet 5. hoc ipso enim quo donator vult talam proportionem sit ita servari, singulis implicitè assignat certam sumnam, iuxta proportionem inopie, quæ singulis debetur legi Iustitiae communitativa.

Confir. Quia si pro uno solo fuisse facta assigatio, deberetur illi ex Iustitia communitativa: ergo etiam deberet quando sit pro pluribus secundum proportionem paupertatis, vel doctrinæ. nam æquæ multum inris quisque acquirit, ac si ipsi soli assignatio facta esset. Eadem ratio locum haberet quando distribuitur aratum commune alicuius Vniuersitatis vel Collegij in singulos pro cuiusque dignitate vel ordine, iuxta leges & consuetudines receptas. Itaque quando dividitur aliquid stricto iure debitum, concurrent in eodem actu Iustitia communitativa & distributiva: distributiva, quatenus respicit ut cuique detur secundum proportionem sue dignitatis: communitativa, quatenus respicit ut cuique detur æquale iuri quod habet, quod ins ortum est ex legi, vel confuciodine, vel donanti dispositione, supponita cer-

21
Distributio
Instituta co-
mut. &
distributi-
ua.

Repub. sol.
pro cuiusque merito,
non dari per *Institutam dis-
tributiuam*, sed per *communitatiuam*: quia non spe-
ctatur conditio personarum, sed operarum quas
præfitterunt; & nihil aliud intenditur quam ut
in singulis constituantur æqualitas rei ad rem,
scilicet mercedis ad operas. Vnde Resp. non
comparatur tunc ad illos ut totum ad partem: sed
ut pars ad partem, ut ciuis ad ciuem: subit enim
rationem vniuersi personarum conductentis operas singulorum.

23

Iustitia
distribut.
*communi-
tatiuam.*

ta certa proportione dignitatis ipsius ad dignitatem aliorum, & quod alijs tantum vel tantum datum sit. Quare minus dando quam oportet, simul violatur Iustitia utraque: distributiva, quia non datur secundum proportionem dignitatis quam habet ad alios: commutativa, quatenus non datur equalis iuri quod ipsis acquisitum est. Quando vero sit distributio rerum quae stricto iure non debentur secundum conditionem personarum,

tunc Iustitia distributiva non includit commutativa; ut sit in distributione beneficiorum & officiorum: quae debent quidem conferri dignioribus, non tamen ita ut ipsis Ius strictum ad illa habeant. Vnde non sit ipsis iniuria, quae ad restitutionem obligat, nisi alios conferantur: peccat tamen distributor contra Iustitiam distributivam. de quo plura infra cap. 32. dubit. 2. &c. 3. &c. 34. dub. 13.

C A P V T S E C V N D V M.

De ipso Iure in genere.

Habet 2. Dubitationes.

D U B I T A T I O P R I M A.

Quid sit Ius, & quodnam sit Justitia obiectum.

NO T A N D V M est, nomen Iuris potissimum accipi tripliciter. Primo, ut sit idem quod Iustum. Iustum autem dupliciter accipitur, secundum Aristotelem lib. 5. Ethicorum, cap. 1. nempe generatum pro legitimo (& sic omne opus virtutis, quatenus consentaneum legi, dicitur Ius & Iustum) & speciatim, pro eo quod est *equalis* & *alterius debitum*. hec enim tria inveniuntur Iustum stricte acceptum, (ut colligitur ex D. Thom. q. 80.) *equalitatem, debitu, & esse ad alterum*, sic dicimus reddere ius alteri. Secundo, ut sit idem quod lex, quae est regula Iusti in genere: cumque sententia iudicis sit etiam veluti quadam lex, (est enim lex priuata, non publica) etiam ipsa Ius dicitur. hoc modo Iudex dicitur dictere ius, & praefessus Iuri dicendo: quamvis tunc possit accipi pro iusto & aequo. Tertio accipitur ius pro *legitima potestate*. Sic acceptum potest hoc modo describi, Ius est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem; cuius violatio in iuriam constituitur.

Primo, Est potestas, id est, habitudo quadam ad aliquid, vnde dicimus aliquid posse. haec autem se habet vel in modum potentiae actiue, ut quando est ius ad aliquid agendum vel retinendum: vel potentiae passiue, ut in iure quod habes ut aclaris, ut custodiaris, ut tibi seruatur: vel potentiae resistendi, ut in iure quod habes ne quis adficeret tali loco; ne aperiat fenestram in tuum horrum, vel aream; ne altius attollat murum; ne officia tuis luminibus.

Secundo, Legitima, si à lege concessa: quia facultas qua secundum legem non competit, non est ius, sed vis & iniuria. lex autem hanc potestatem concedens vel est diuina positiva, ut ad Sacra menta percipienda: vel est naturalis, ut ad usum membrorum, ad vitam per cibum & porum sustentandam, ad matrimonium inveniendum, ad vim vi propulsandam, &c similia. Vel est humana, ut ad successionem hereditatis, ad praescrivendam vel usucapiendam certo tempore rem alienam, ad acquirendum, possidendum, retinendum, alienandum per varia contractuum genera. Tot

enim sunt genera iurium, quae sunt genera legum, quae ius tribuant: quamvis haec diversitas non faciat diversitatem in ipso iustitia habeatur.

Hinc sequitur, hanc potestatem non esse quid physicum, sed morale dumtaxat, competens homini ex aliqua Dei vel hominum ordinatione, vel deputatione, vel concessione; sicut esse magistrum, doctorem, regem, militem.

Tertio, Ad rem aliquam: ut ad obtainendum rem aliquam per successionem hereditariam, per testamentum, per donationem liberalis, per contraetus, per occupationem.

Quarto, Ad functionem: ut ad liberum usum membrorum & rerum suarum.

Quinto, Quasi functionem: ut ad possessionem ciuilem & naturalem, ad retinendum dominium, statum, & conditioinem in qua est.

Sexto, Cuius violatio, &c. quia iniuria nihil est *in iuria*. aliud quam alieni iuris violatio. Dicitur autem violari, non quando aliquis priuatur suo iure; sed quando iure manente contra illud agitur. Non enim agi potest contra ius quod non est. Vnde quando quis priuatur officio, quod est Ius quoddam, non fiet iniuria, nisi in ipso aliud Ius maneat respiciens illud officium: potest enim esse ius ad Ius, &c. dominium Iuris. His positis,

Dico Primo, Si Ius accipiant pro *Iusto in genere*, est formaliter obiectum obedientiae.

Probatur, quia sic idem est quod *legitimum, genere*. seu lege statutum: atque hoc est obiectum formale obedientiae, quae ideo vult & facit quia est preceptum.

Dixi formaliter; quia si *legitimum* accipiant materialiter, pro eo quod est lege statutum, est obiectum omnis virtutis: quia lex in omni materia virtutis aliquid statuit, ut supra cap. I.n. 15. dictum est.

Dico Secundo, Si Ius accipiant pro *Iusto speciali*, quod est aequalis, debitum alteri; sic est obiectum formale iusticie particularis. Probatur, *Iustum specialis*.

quia is peculiari ratione dicitur Iustus, qui hanc aequalitatem debitam amat, intendit & seruat: In iustus, qui eam non seruat, ut pater in contractibus. ergo haec aequalitas quatenus debita, est obie-